ACADEMIÆ GISSENÆ
RECTOR
TOTUSQVE PROFESSORUM ORDO
Omnibus Omnium Facultatum
STUDIOSIS
S. P. D.

ANimum noſtrum ſæpius admiratio ſubiit, in tanta Eorum Ubertate, qui liberalibus artibus rerumque divinarum atque humanarum ſcientiis operam navant, magnam tamen ubivis occurrere Eruditorum egeſtatem. Innumera pene multitudo, Studentium nomen ſibi vendicantium, quotannis confluit ad Academias ibidemque per plures annos commoratur, unde ceu de abundante ſemente haccce non niſi largiſſima Eruditorum meſſis olim ſperanda; Videas tamen probe conceptas has ipſas ſpes has ut raro, imo frequentiſſime in prima ſuffocari herba, adeo, ut dum munus aliquod Viro inſignius exornandum eſt, tum demum annonæ literariæ caritatem etiam inviti ſentiamus. Cauſas hujus inopiæ omnes recenſere, vel in eas inquirere præſentis inſtituti ratio non patitur. Non ultima tamen eſt, quod in Academiis idem hodienum obſervandum veniat, quod ſuo tempore in Civitate Julii Cæſaris, quæ Pariſius Ipſi vocatur, obſervavit Boethius ſive potius Autor libro de diſciplin. Scholar. Commemorat Ille cap. 2. ſe multos ibidem reperiiſſe Scholares Diſcolos. Quis ſit diſculus his expouit verbis: *Dicitur*, inquit, *Diſcolus quaſi à Scola diviſus. Stola enim græce dicitur, vacatio latine, inde diſcolus, quaſi vacatione diviſus. Diſcolus autem dicitur ille, qui diſcurrit per vicos, & plateas, & tabernas, & meretricum cellulas, per publica ſpectacula, per pompas & choreas, & per comeſſationes, & per publicas cœnas, & hoc vagis oculis & effrena lingua, petulanti animo, vultu incompoſito. Omnibus his Scola poſtponitur.* Græcanicæ linguæ peritiores Dyſcolum dicunt faſtidioſi ſtomachi hominem. Et eſt Studioſus dyſcolus, qui vel ſimul, atque literarias dapes primis labris modo libavit, velut ſatiatus protinus abſtinet ab iis, vel qui ab omni Eruditionis cibo oculos avertit, ac ſi hujus nec aſpectum nec nidorem ſuſtinere queat. Dyſcolia ergo eſt, illa omnis ſolidioris Eruditionis peſtis. Hæc impedit, ne adoleſcentuli Noſtri ſapientiæ cultum capere vel poſſint vel velint. Hæc eſt, quæ non admittit, ut à Profeſſoribus tradita Præcepta in ſuccum vertantur & ſanguinem. Etenim *quæ cum ſuavitate aſſumimus, ea venter amplexari ſolet, & multo hæc facilius coquere: Recedere vero ab ingratis, ceu quæ nauſeas afferant, aut inflationes, quod quidem in plurimis etiam boni ſucci cibis evenit*; Verba ſunt Galeni, quæ à Corporis ad Intellectus nutrimentum trahere abſque violentia licet. Deploranda utique calamitas! quam ab aliquot jam ſeculis Academias preſſiſſe ſolatium aliquod, non emendationis ſpem ſuppeditat. Non tamen fas eſt, de officii partibus & ſolita diligentia quicquam remittere. *Non deſiſtet Sereniſſimus Noſter, ea, qua more Majorum ſaluti Academiæ laudatiſſimè invigilat, ſolicitudine indefeſſa in id incumbere, ut propediem, & vix finitis Nundinis Vernalibus vacantes Profeſſiones Celeberrimis JCtis conferat, alioſq; in locum priſtinorum Anteceſſores Excellentiſſimos ſuggerat.* Sed & Nos per ſubſequens ſemeſtre æſtivum id præſtituros publice his ſignificamus, ut ſingularum Facultatum Studioſis veram, nonfucatam Eruditionem appetentibus, nulla ſuperſit juſta conquerendi cauſa. P.P. Gieſſæ Dominica Palm. Anno æræ vulgaris 1669. Sub Sigillo Majore.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

PETRUS Haberkorn/ *S.Th.D. & Profeſſor P.* abſolutis prætoritâ hyeme per DEI gratiam Lectionibus publicis, Collegiis privatis, ùt & Diſputationibus contra Calvinianos alioſque Adverſarios inſtitutis, inſtante nunc æſtate Lectiones de Baptiſmo, S. Euchariſtiâ & Miniſterio Eccleſiaſtico cõtra Calvinianos continuabit, Collegium privatum contra Photinianos & Novatores hodiernos aperiet, Explicationem Epiſtolæ ad Romanos, quoad Capita reſidua, incipiendo ſc. à Cap. VIII. ad finem perducet, & Diſputationes Antiſyncretiſticas, aliaſque in publico Auditorio habebit.

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, *S.Theol.D. Ejus, & Hebr. Lingv. Prof. P.* Articulum de SS. Trinitate D.V. in Lectionibus publicis propoſiturus, addet ſimul Hebraica, loco cuivis neceſſaria. Horas privatas, in Studioſi cujuſvis fructum quàm maximum, impendet ad Linguam illam ſanctiſſimam, ſingulari methodo inſtillandam. Et ſi qui adfuerint deſiderantes Synopſin ſuam, ſemeſtrali ſpacio abſolvendam, vel diſputando vel explicando per Quæſtiones, reaſſumet

MICHAEL SIRICIUS, *SS.Theol.D. & Profeſſ.Ordin.* publicis & privatis laboribus & exercitiis ſtudiorum deſideriis volente DEO inſerviet.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *Theol.D. & Profeſſ.extraord.* privatim, ſi DEO ita viſum, theſes typis publicis expreſſas Genitoris ſui D. MENONIS HANNEKENII, diſputare, & publicè in librum Concordiæ comparationes inſtituere diſputando inſtit.

IN FACULTATE JURIDICA.

GREGORIUS TÜLSNERUS, *U.J.D. Conſiliarius Haſſo-Darmſtadinus, & Profeſſor Ordinarius, Facultatis Senior, etſi à Sereniſſimo Principe ac Domino,* DN. LUDOVICO, *Haſſiæ Landgravio &c.* quoad prælectiones publicas, clementiſſimè rude ſit donatus; nihilominus tamen in aliis Academiam & Facultatem concernentibus negotiis, quantum per vires Corporis licebit, ſuo non deerit officio.

Reliqui Profeſſores Juris Ordinarii jam dum humillime denominati, quam primum huc appulerint ſuam quoque in docendo præſtabunt operam.

HENRICUS PETRUS Haberkorn/ *J.U.D. & Profeſſor extraordinarius*, totius legitimæ ſcientiæ in Jure prima elementa ulteriori publicæ expoſitioni dare, nec non notabiliora ex his, non poſthabitâ inſuper fundamentali elaboratione quarumdam ſubtilium juris materiarum, diſputationibus, uti hactenus factitatum, committere publicis, haud ceſſabit; Varia juris collegia & ſtudia, prout illa deſiderabuntur, privatim habebit, ita tamen ne ab uſu practico relinquantur aliena.

IN FACULTATE MEDICA.

JOH. TACKIUS, *Phil. & Med. D. hujusq; Prof. & Archiater Haſſo Darmſtadinus*, quouſque in Aula commorabitur, ſcriptis in publicum emittendis, conſiliiſque Medicis tàm Hippocratico, quàm Hermetico è fonte depromendis, ſuam Philiatris præſtabit opem. Ubi v. otium aulicum ipſi ad Academiam aperuerit viam, non ceſſabit, publicè privatimque pro Medicinæ Studioſorum ſpe & expectatione ſuam indefeſſam præſtare operam.

LAURENTIUS STRAUSS, *Med. D. & Prof. Ordin* in Lectionib. Med. *public.* *captam* telam pertexere, DEO favente, conabitur: *privatim* ea tractabit, quæ à Philiatris imprimis deſiderari intelliget.

MICHAEL Heiland/ *Phil. & Med. D. & Profeſſor Ordinarius, p.t. Academiæ* RECTOR, dummodo negocia publica id conceſſerint, æſtivos hoſce menſes Plantarum doctrinæ Publicè tradendæ dicavit. Nec Privatam informationem deſiderantibus deerit.

HIERONYMUS Nötel/ *D. & Profeſſor Extraordinarius*, quouſque extra Academiam commorabitur, Scriptis & Conſiliis è Medicina depromendis ſuam Studioſis exhibebit operam. Poſtquam verò ad Academiam redibit pro placito Dominorum Studioſorum facilè ſuam declarabit promptitudinem.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

KILIANUS RUDRAUFFIUS, *primæ & Organ. Phil. Profeſſ.* In Logicis Lectionibus publicis exponet varia argumentandi genera, ſpuria & genuina. In Metaphyſicis ſeliget ſelectiora ex parte generali, eaque breviſſimè exponet. In publicam verò diſputandi materiam P. D. aſſumet novum *Corpus Metaphyſicum*, quod, quoad fieri poteſt, diſputando tradet abſolutum & completum, recentioribus controverſiis & materiis interpoſitis atque annexis. In Philoſophia Theologiæ ancillanti paucas exercitationes addet & ita B. C. D. finem illi imponet, niſi nova neceſſitas alia & plura poſtulaverit. Addet ſpeciales diſſertationes tractatulorum inſtar *De Ortu animæ humanæ: De Scientia, de Voluntate & de Potentia Dei.* Privatim inſtituet Collegia conſueta Logica & Metaphyſica vel explicatoria vel diſputatoria, prout Dnn. Aa viſum & acceptum fuerit.

M. JOHANNES Weiſſ/ *publicè in Ethicis* Exercitationes quinque priores Liebenthalii abſolvit, impoſterum volente DEO, reliquas debitâ induſtriâ ſuperaddet. *In Politicis* ſocietates compoſitas tradidit: quibus abſolutis, materiam de Republicâ in genere, nec non de ejuſd. ſpeciebus ſubjunget. Exercitia quoque diſputatoria publica nulli expoſcenti denegabit. *Privatim* collegia Ethica & Politica pro placito Dnn. Studioſorum aperiet.

LAURENTIUS STRAUSS, *Med. D. & Profeſſ. Phyſ. Ord.* in Explicatione Quæſtionum inſigniorum ex ſpeciali Phyſices parte depromptarum, DEO annuente, *publicè* perget: *Privatam* quoque opellam, ſi gratam eam Dn. Studioſis intellexerit, à ſe deſiderari, haut patietur.

PHIL. LUDOV. HANNEKENIUS, *D. & Prof. Orat. Ordin.* DEO S. V. Florum publicè explicare, & collegium epiſtolarum, ut placuit nonnullis Dominorum Studioſorum, aperire inſtit.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Græc. Ling. Hiſtoriarum & Poëſ. Prof. Ord.* cum DEO aggredietur Hiſtoriam Græcorum, immorabitur autem iis præcipue, quæ geſta ab illis ſunt, cum caput ſub Alexandro M. erexere, & Monarchiam rapere ſunt conati; iis item quæ ſciſſo tandem in partes Regno ad quartam uſque Monarchiam agitata inter ſucceſſores ſunt. Porro in gratiam Græc. Ling. & Poëſeos Studioſorum Pindarum enarrabit, initiumque prima Olympiorum Oda erit. Pollicetur tandem operam privatam quoque in iis, quæ muneris ſui ſunt.

M. FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Matthem. Prof. Ord.* Abſolutâ Arithmeticâ tùm vulgari tùm Aſtronomicâ & Geodæticâ, Geometriam unà cum Trigonometriâ Corporumq; Dimenſione publicè volente Deo tradet, Praxin ubi fuerit opus, adjuncturus. Inter verò privatos Parietes ſuper Architecturam Militarem, quod cœpit Collegium abſolvet, & Algebram aut Circini Proportionatorii conſtructionem & uſum, vel etiam Aſtronomiam aut Opticam deſideraturis proponet. Diſputationes quoque Publicas ex Geographicis habebit.

GIESSÆ HASSORUM,
Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Academiæ Typogr. Ordin.